





2b. 15





32.  
64

RECTOR  
ACADEMIÆ FRANCO-  
FURTANÆ  
CHRISTOPHORUS  
PELARGUS

S.S. Theologiæ Doctor, Serenissimo Electo-  
ri Brandenburgico à consiliis sacris, Generalis totius  
Marchiæ Superadrendens, Academiæ Professor, Ec-  
clesiæ Pastor, & venerandi Theologorum  
Ordinis Senior, ac p. t. Decanus

*Ad exsequias funeris*

*Quas*

a. d. v. i. Eid. Sextilis

*Prudenti, Spectato & honorato Viro*

D N.

JOHANNI Blotem

Reipubl. opidanæ Civi, Senatori, & Nego-  
tatori integerrimo

*Marito suo optatissimo, desideratissimo*

Relicta vidua mœrens lugensque honorificè  
adparatas cupit

*Omnes jurisdictioni suæ subjectos amanter  
invitat*

---

ANNO CHRISTI

CL. IO. CXXIV.

*Literis*

FRIDERICI HARTMANNI.



22.

RECTOR  
ACADEMIAE BRANCO

JOHANNES

JOHANNES

JOHANNES

JOHANNES


JOHANNES

JOHANNES

JOHANNES







**A** Pud falsorū Deo  
rum cultores, quos usita-  
tē paganos vocamus, more  
olim receptum erat: ut vita fun-  
ctis, & terræ jam mandandis traderent  
& melittutam, quam tricipiti Cerbero  
objicerent; & danacem seu obolum,  
quem Charonti porrigerent: & mysta-  
lem seu panem, quem canibus offerrent: & coronam, quæ exantlata  
vitæ certamina significaret. Persuasum enim habebant, defuncto-  
rum animas a Charonte per Stygiam paludem & Acherontis aquas  
in campos Elysios transportari: & placandum esse Cerberum, qui  
ante fores excubaret: & ostiam latrantibus canibus præbendam. A-  
pud imaginosos Papistas, quos à capite suo sic appellamus, ut mo-  
rituris in manus dant lucernam, in festo, quod vocant, luminarium,  
consecratam, quæ illis lumen in tenebrôsâ migratione præferat: ita  
mortuis interdum induunt linteamina, quorum in sacris peragendis  
usus est: quod tamen in provinciali Arvernensi concilio sub Theo-  
doberto Rege, & in synodo Antisiodorensi prohibitum: interdum  
cucullam Franciscanam; in quâ Alexander Neapolitanus genialium  
dierum scriptor disertus, & Ciceronis simia Christophorus Longo-  
lius mori & sepeliri voluerunt: ut meritorum illius ordinis partici-  
pes fierent scilicet: non etiam nullis evectiones & indulgentiarum  
codicillos tradunt, quos Petro cœli clavigero legendos offerant. A-  
pud nos autem, quibus alia melior præter naturam, & purior cœle-  
stis veritatis lux adfulsit, morti quidem qui sunt vicini, & in fati li-  
mine jam constituti, manu quasi fidei adprehendere Christi Domi-  
ni meritum, sufficiens illud redemptionis nostræ precium seu λύτρον;  
quod legi, peccato, & morti tanquam tribus Cerberi capitibus op-  
ponant; & denarium terrestrium bonorum pauperibus relinque-  
re, eosque sibi amicos facere, quorum intercessione in æterna taber-  
nacula recipiantur; & Christi non aut crucifixi simulacrum ligneum





vel æreum ante oculos sibi ponere; aut nomē aureis literis in pariete vel tabellâ scriptum inspicere; sed ipsum Christum, lumen gentibus jam reiectum, cordis penetralibus includere, arctèque tenere jubentur: iisdem verò fato functis funus honorificè ducitur: & coronæ ac coronidis loco vitæ bene actæ testimonium tribuitur: quod & in sepulcro jacentibus ornamento sit: & conlatrantibus ipsos jam mortuos os obturet. Atque hoc institutum longè magis & saluti hominum conducit, & naturæ rerum convenit, quam si aurum & argentum, aut alia pretiosa monilia & cimelia cum illis sepelirentur: quod ne fieret, & Lycurgus olim teste Plutarcho sanxit: & Romani caverunt. nec injuria. Natura enim ut hominem nudum produxit: ita eundem quoque nudum reposcit: quod & secundus in Triumvirali justorum Collegio inter sacros docet; & inter profanos Callimachus Romanus, cum ait

*Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:*

*Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.*

Quin culpæ genus est, inutiliter in abditis relinquere mortuorum, unde se vita possit sustentare vivorum. Quid proficit sepulcrorum superbia? damna sunt potius viventium, quam subsidia mortuorum, ex ore Ambrosij. Quando igitur spectatissimus & honoratissimus Vir, D. N. JOHANNES Blote/ Senator & Negotiator apud nos navus & industrius, qui non longo temporis intervallo ANNAM BLOTTIAM germanam sororem, cum D. N. GEORGIO SORERO viro ornatissimo olim nuptam; paucioribus adhuc interpositis diebus neptem ex fratre, D. N. AEGIDIO BLOTIO, J. C. & Antecessore hujus academix celeberrimo, & Amplissimi Ordinis p. t. DECANO Amplissimo, moriendo subsequutus, & die ab hinc quinto ad plures digressus est; in agnitione Sequestri & Servatoris nostri generis diem suum obiit; ejusque meritum verâ fide adprehendit: & pauperibus, dum vita erat, auxiliares manus tulit: atque ita, ut pium hominem decuit, probum oportuit, vitæ fabulam peregit: reliquum nihil amplius est, quam ut testimonium tale à nobis auferat; quale & vita honestè acta, & opera reipub. lau-



laudabiliter navata merentur: & corpus ejus, quod pia animæ domicilium fuit, in amicis terræ latebris Christiano ritu condatur. Ad vitam ergo ejus fatumque quod adtrinet, in lucem hanc III. Kal. Septembris, horâ VI. matutinâ anno post Christum natū M. D. XXCV editus est, fatu & conceptu parentum honestis. Pater ejus, cui idem cum filio nomen, Senatorii apud nos Ordinis & Negotiator fuit inter primos: cujus corpus Misniæ ocellus Lipsia, ubi in mercatu Januarii ante hos XV annos, & quod excurrit, procul ab uxore & liberis suis in fata concesserat, tenet: animam, ut piè credimus, Dei habitaculum cœlum: fortunas satis lautas, heredes. Mater GERTRUDIS Grimmes/ eximie corporis venustatis, animi probitatis, experæque fecunditatis fuit fœmina: cui a. d. IX Kal. Sextil., anno ab hinc undecimo, qui urbi huic gravis & pestilens erat, ab obitu mariti quarto, oculos raro exemplo clausere, & funus fecere quatuor filii, totidemque filia superstites. JOHANNI nostro recens nato pii parentes mox de salutari regenerationis lavacro, post de liberali prospexerunt educatione: gnari, neminem, nisi ex aquâ & spiritu renatus sit, cœlestis regni hereditatem cernere posse: &, quemadmodum nisi fundus subactus & confitus sit, non est, quod fructuosam messem & ubertatem annonæ speres; ita nisi ad laborem & honestatem, educetur tenera ætas, frustra quæri paullo post, qui rem honeste faciendo familiam sustentent, remque publicam opibus aut consiliis fulciant. Postea verò quam à calculatoribus numerandi artem, quam quod homines diligentius numerent pecuniam, quam genera causarum, ante Rhetoricam fuisse quidam facetè dixit; & ad rei familiaris gubernationem, ad rempub., ad artes denique universas tantam habere vim, quantam nulla alia una pueritiæ disciplina, nec sine eâ prudentem esse posse Plato divinitus scripsit, didicerat: & librarii ductu nō incitè & indecorè literas efformabat: à Patre, qui copiosam & late diffusam habebat negotiationem, & latifundia possidebat, opera ejus requisita est ad obeundos & invisendos fundos, & procuranda hic & alibi negotia. Ex quo tempore tanta fidei, sollertiæ & industriæ suæ specimina dedit: ut non modò nihil in eo desideraret Pater, dum viveret: sed eo etiam universæ carnis viam ingresso mater



cum liberis totam ei negotiationem crederent: cui ad illius usque obitum tantâ dexteritate, integritate & felicitate præfuit, ut quæ à Patre relicta erant bona, tam mobilia quam immobilia & quæ neutro jure censentur, non aut malis artibus amplificaret, aut culpâ suâ & vitio decoqueret, aut fortunæ naufragio perderet, aut luxu prodigeret, aut desidiâ minuerat, aut usucapi quid pateretur, aut adquirendi occasionem negligeret: sed bonis & honestis rationibus terrâ marique, sudo & udo cælo, noctu & interdiu auget. Post beatam matris migrationem eriscundæ familiæ judicio vel arbitrio negotiatio & latifundia ipsi bonam partem obvenêrunt: quibus cum se solum imparem esse animadverteret, sociam vitæ, & laborum atque curarum consortem sibi adjungendam duxit: & consilio cum suis communicato, auxilioque divino implorato, lectissimam & honestissimam virginem EVAM Scholtzin / Dn. GEORGII Scholtzen / Senatoris, Negotiatoris, ac Patrisfam. sollertissimi filiam, Dn. JOANNI Sunden / Senatoris & Negotiatoris ex filiâ EVA, matronâ ornatissimâ neptem, Senatoris & Negotiatoris Patrisque familias optimi ipse filius, Negotiator jam & paullo post futurus Senator, anno ætatis XXIX, redempti orbis M. DC. XIV. XIII. Kal. Oct. posteaquam matrem annum integrum & ultrâ luxerat, sollempniter sibi in æde sacrâ copulatam uxorem duxit. Conjugium hoc decem circiter annos summâ fide cultum, amoris quidem & dulcissimæ conjunctionis plenum; non expers tamen curarum & sollicitudinum, quæ conjuges novos in re familiari amplâ, & hac temporum difficultate comitari amant; sed neque fructus conjugii, liberorum nempe fuit exfors: de quibus cum duo melioris sexus primâ ætate rapti sint, FRIDERICUS, EVA, GERTRUDI Shodieque, & utinam diu, supersunt. Anno à nuptiis tertio, CHRISTI M. DC. XVII. in Scabinorum primò Collegium ab Amplissimo urbis huius Senatu cooptatus; mox anno insequente in Ordinem Lati-clavioꝝ allectus est. Solet enim antefatus Senatus nec bene meritos, postquam rude jam donati sunt, nec bene meritorem filios negligere: sed in tenerâ ætate merita futura tractare, & ex parentum virtutibus prolis judicare successum, Senatorumque



que filios in locu in demortuorum Patrum, dum tamen horum orbitam premant, & vitæ honestate illis respondeant, surrogare. Quæ in re prudenter & laudabiliter agit: & ad virtutum paternarum imitationem liberos accendit; efficitque ut plures bonos esse juvet: quorum in numero piæ defunctus si non fuisset, nunquam Senatoriam dignitatem obtinisset: aut in ipsâ dignitate, anno præsertim primo, cum AEdilis Cerealis erat, & annonam, pondera ac mensuras curabat, pistoribus, lanionibus, zythepfis, propalis & propolis commitate magis quàm auctoritate in officio continendis annonæ gravitatem prohibuisset, laxitatem procurasset. Ad cæteram ejus vitam quod adinet, in concionibus & usu sacræ cœnæ frequens, in piis precibus & honestis actionibus assiduus, ad beneficentiam erga pauperes pronus, erga vicinos comis & humanus, erga parentes pius, sic ut matrem peste correptam suis, ipse ejus in infantia levetutumque gestamen, manibus è lecto tolleret & in eodem reponeret; erga omnes officiosus, sed valetudinem ab aliquot jam annis non benignam matrem, sed novercam iniquam expertus fuit. Longum quidem ipsi comitatum, in cursu negotiationis & industriæ mala valetudo dederat: sed dum negotia sua domi peregreque curat, & in viâ semper labore, sæpe siti & fame, interdum æstu & frigore & tempestatibus omnis generis jactatur: ante sex annos ipsum invadit, & supra sex menses lecto adfixum detinet, viresque corporis ita adterit, ut recuperare eas postea, & ad perfectam sanitatem pervenire non potuerit: delinimenta que magis quam remedia morbi quæreret, contentus si rarius accederet, & minus verminaretur. Subinde tamen in morbum, quod Bernharo judice deterius est quam incidere, recidit: & nuper adeo finito mercatu VIII. Kal. Sextil. in eundem relapsus; cum ad cibum omnem nausearet, indies viribus ita defectus est, ut omnem diutius vivendi spem abjiceret: præsertim cum videret Medicorum operam & remedia omnia, quæ adhiberentur, frustra esse: desperaretque futurum, ut cum valetudine unquam in gratiam rediret. Tum igitur res mundanas procul habere cœpit: delictorum suorum veniam à Deo petiit: & IV. Non. mensis hujus Socero, fratribus, sororibus earumque mar-

ris;



tis, quos ad sese accersiverat, presentibus, cum conscientiam suam exonerasset, Eucharistiâ usus eo tâquam viatico sese ad futurum iter instruxit: quod sine metu & motu, inter pias preces & suspiria, inter gemitus, lamenta & lacrimas suorum, maximè verò uxoris uxoris autem? immò viduæ afflictissimæ; & præpropere dulcissimi sui mariti occasu immane quantum percussæ, in bonâ & florente famâ, die ab hinc quinto, paullô ante noctis, ut Varro vocat, meridiem, in cœlestem profectus est patriam: cum his in terris peregrinatus esset novem & triginta annos, & mensem unum: expertusque esset, præcipuum annorum nostrorum, ut Spiritus Sancti impulsu summus Dei amicus Moses cecinit, Laborem esse & Dolorem: Laborem in actione, Dolorem in passione. Quod nostrum fuit, florentissimi academiæ Cives, jam fecimus: & debitum pietati, fidei ac honestati defuncti DN. JOHANNIS Blotii testimonium, non phaleratum illud aut mangonio aliquo exornatum, sed simplex & rectum perhibuimus. Nunc, quod vestrum est, amicè & amanter invitati, facite: in funus, quod ex defuncti ædibus post horam XII. hodierni diei effertur, frequentes procedite: Viduæ mœstissimæ, Socero, Fratribus, Sororibus, Sororiis, cæterisque; Propinquis, reipub. aut nostræ Professoribus, aut oppidanæ Senatoribus & Civibus primariis dolorem honorificâ vestrâ præsentia levate, solatia date: in primis autem CL. & Consultissimo Dn. D. Blotio, denati, ut dixi, Fratri germano, ejusdemque amantissimo, quam ante octiduum in funere suavissimæ filiolæ adfatim ostendistis observantiam & benivolentiam, de quâ maximas vobis gratias iterum agit, majores etiam habet, in fraternis quoque hisce exsequiis declarate: & geminatione pii hujus officii enixum vestrum studium & constantem firmumque adfectum eidem probate, optimèque inter homines agite & valete.

M. C. N.



Ja 666

ULB Halle 3  
002 177 021



5b-700

V017


MC











B.I.G.

Farbkarte #13



32.  
61

OR  
FRANCO-  
NÆ  
PHORUS  
US  
erenissimo Electro-  
acris, Generalis totius  
ademia Professor, Ec-  
di Theologorum  
o. t. Decanus  
funeris

extilis  
honorato Viro

Bloten  
Senatori, & Nego-  
errimo  
o, desideratissimo  
gensque honorificè  
pit  
subjectos amanter

RISTI  
X X I V.

ARTMANNI.

